



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VIII. Tua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

in majore parte, tamen à tot personis communis, ut moraliter loquendo impossibile sit celari, aut occultari, quò minus paulatim deveniat ad aliorum plurium notitiam, sicuti explicavi lib. 3. de Inst. tra 3. p. 2. c. 3. n. 8. Et hinc tradit Abb. hic n. 16. quòd Judex, seu vir prudens, ex varijs circumstantijs, & qualitate actus arbitrari debet, num factum g. crimen notorium sit, necne. Hæc de notorio facti. Nunc venio ad notorium juris, seu quod in Judicio notorium est: id verò triplex est, si ve ex triplici capite oritur notorium juris. Primò: ex spontanea confessione facta in Judicio, uti habetur in hoc c. juncta Gl. v. non diffidetur. c. ult. eod. tit. c. cum olim. 24. de verborum significatione. Verumtamen, priusquam sententia lata est, opponi potest contra confessionem ostendendo errorem, metum, vel similem causam, quæ debilitat, aut dubiam confessionem reddit juxta L. error 7. C. de juris & facti ignorantia, & docet Abb. in cit. c. Cum olim n. 3. Gl. in e. ex parte 23. V. si verò dubia. de verborum signific. Abb. ibid. n. 7. Secundò ex probationibus & actis in Judicio, nam quæ in Judicio acta v. g. à notario coram Judice in protocollo relatæ; item, quæ coram Judice legitime probata sunt, notorium juris inducunt, cit. c. Cum olim & docent ibi DD. communiter, Masc. con. 1106. Sic v. g. instrumentum in Judicio productum, si authenticum sit, notorium inducit, & probationem probatam efficit. L. ult. C. de probationibus. Testes quoque legitime examinatos, ac deponentes inducere notorium, significatur in cit. L. ult. Explicandum tamen est, quòd probationes notorium inducant, posteaquam in causa conclusum, seu probationibus, & exceptionibus in utramque partem renunciatum fuit, uti ex communi tradit Abb. in cit. c. 3. Masc. con. 1106. n. 22. Tertiò per sententiam definitivam seu condemnationem notorium induci, constat ex hoc c. & L. ult. cit. Imò etiam per interlocutoriam sententiam, si cum

causæ cognitione lata sit, notorium indici testatur Masc. n. 31. opus tamen est; ut sententia transierit in rem judicatam, nam tunc indubitata, finita; nullaque amplius discussione indigens censetur.

CAPITULUM VIII.

Tua.

PARAPHRASIS.

Exonensis Episcopus quæsierat ex Innocent. III. Si Clerici, qui publice concubinas habere dicuntur, citati, & examinati, cum nullus adsit accusator, negent se concubinos esse, an credendum sit bonorum virorum, inter quos habitant, testimonijs. Ad id respondet Papa, si crimen eorum ita publicum sit, ut meritis censeri debeat notorium, tunc nec testem nec accusatorem necessarium esse, propterea quòd nullâ tergiversatione celari possit; sin autem publicum sit, non ex facti evidentia, sed ex fama, tunc testimonia illorum non sufficiunt ad condemnationem, cum non testimonijs sed testibus credendum, & ita judicandum sit. Cæterum si de Clericis talis suspicio orta fuerit, ex qua scandalum in populo oriatur, tamen si adversus eos nullus accusator compareat, tamen Canonica eis indicenda est purgatio, quam si præstare noluerint, vel in ea præstanda defecerint, tum eos canonicè punire oportet.

SUMMARIUM.

1. Crimen nonnunquam publicum dicitur, si quis de eo est infamatus.
2. De crimine fornicationis, aut adulterij, ex conjecturis evidentibus, notorietas nonnunquam haberi potest.
3. Ita, ut si ante tali evidentia facti permanentis, condemnari possit de crimine tali aliquis, quamvis alia probationes non habeantur.
4. Ex dictis tamen populi v. g. extrajudicialiter